



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

T

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

16. Suspensio lata sub conditione v. g. donec satisfacias, vel restituas, positâ conditione tollitur ipso facto sine aliâ absolutione. Hurtad. & alij s. idem dicendum de eâ quæ lata est ob cõtumaciam. Couarr. & alij. *ibid. ref. 24. & 25.*

T

TESTAMENTVM.

1. **V**alere consuetudo vt minor numerus testium quàm septem sufficiat ad valorem testamenti. *p. 6. tr. 5. ref. 30.*

2. Qui non vult in testamento exprimere restitutiones faciendas, vel quid simile, ponat in eo se chartam dedisse Confessario, vel alteri, quam velit habere vim testamenti. Imò talis nominatio hæredis esset sufficiens. *p. 5. tr. 3. ref. 135.*

3. Testamentum inchoatũ, & morte interueniente non absolutum, validum est quoad legata pia quæ in eo iam expressa sunt. *p. 5. tr. 3. ref. 126.*

4. Clerici eo ipso quo gaudent priuilegio fori gaudet etiam priuilegio *c. cum esset de test.* vt testamenta eorum valida sint, licet non adsint solennitates iuris.

O O 2.

Quam-

Quamuis autem de bonis benefici-
 bus testari licite non possint in vsus
 non pios, licitum tamen erit, si fiat per
 modum iustę remunerationis, siue
 consanguineis, siue famulis. (Malder.)
 Potest etiam Pontifex concedere pote-
 statem testandi ad vsus non pios. Mo-
 lin. *ibid.* ref. 124. & 125.

5 Commendatarij, Equites D. Iaco-
 bi, Calatrae, Alcantarae, &c. quibus
 matrimonium licet, possunt testari et-
 iam de fructibus commendarum, in
 vsus non pios; non autem Equites
 S. Ioannis. Sanchez & Villalob. *ibid.*
 ref. 129.

6 Religiosi possunt cum licentiã Su-
 perioris aliquid donare tempore mor-
 tis, etiam per schedulam scriptam; quia
 tota dispositio manet in voluntate Su-
 perioris. Suarez & Layman. Imò po-
 test aliquid relinqui monacho cum
 potestate de illo tempore mortis dis-
 ponendi inter consanguineos, non per
 testamentum, sed per electionem per-
 sonae ad quam postea pertineat. San-
 chez. *ibid.* ref. 128.

7 Surdus vel mutus à natiuitate te-
 stari non potest ex dispositione iuris;
 secus si ex morbo tales sint. Cæcus
 au-

autem quamuis testari possit, plures tamen solennitates ius requirit, ob maiorem suspicionem fraudis. Sed quoties inter liberos testatur, vel ad pias causas, duo testes sufficiunt. Potest tamen Princeps habilitare ad testandum mutos à natiuitate. (Molfes.) quòd si mutus sciat scribere, semper potest testamentum facere: aliàs signis non videtur satis clarè posse exprimi hæres.

p. 5. tr. 6. ref. 23. & 26.

8 Cæcus potest donare causâ mortis sine solennitatibus, si præsens sit donatarius, vel alius qui pro ipso stipuletur, aliàs resoluitur in fidei-commissum.

Seraphin. & alij. ibid. ref. 25.

9 Mutus & surdus non possunt esse executores testamenti. Sanch. & alij 2. *ibid. ref. 28.*

10 Executor testamenti statutus, non tenetur officium illud acceptare, etsi sit consanguineus, neque potest ad hoc à iudice cogi. (Sanchez.) In illo autem casu Episcopus fit Executor testamenti.

Syluest. & alij 4. p. 4. tr. 4. ref. 162.

11 Executor testamenti qui debet aliquam summam in pauperes distribuere, potest illam sibi, si verè pauper est, sicut aliis pauperibus, applicare, quam-

uis testator sciuerit ipsum esse pauperem. Ledesm. & Sancius p. 5. tr. 8. ref. 38.
 12 Potest Episcopus exequi legata pia, quamuis se opponat aliquis tertius laicus possessor. Imò potest illa commutare in æquale, vel melius, maximè cū consensu heredum: neque sic infringit voluntatem testatoris, sed interpretatur. Vasquez & alij 12. Sed contrarium etiam probabile est. Molina & alij 7. p. 5. tr. 1. ref. 24 & p. 2. tr. 17. ref. 26.

13 Quando incertum est, cui ex duobus, vel pluribus relictum sit legatum, tenetur hæres illud inter eos diuidere, si in id consentiant. Molin. & alij 4. Sin testator legatum fecerit Ecclesiæ, v. g. D. Mariæ, & ibi sint plures Ecclesiæ eiusdem nominis; tunc cedit Parochiali, si sit eiusdem nominis, alioqui cedit maiori, vel pauperiori; si omnes sint æquales, dabitur Episcopo loci distribuendum vt videbitur. p. 3. tract. 5. resol. 58.

14 Qui testamentum perfectum, & iuratum, sine iustâ causâ, reuocat, peccat mortaliter; sed reuocatio valet. Becan. p. 5. tr. 3. ref. 122.

Vide Hæres, Legatum.

Testis.

Testis.

Quando crimen est notorium, & publicum, sed ignoratur auctor, testis interrogatus à iudice, non tenetur respondere; quia probabilis sententia asserit ipsum non interrogare iudicem. (Turrian. & alij 5.) erit igitur telli integrum vel manifestare, vel occultare veritatem, iuxta probabilitatem utriusque opinionis. *p. 2. tract. 15. resol. 63.*

2 Testes privilegiati, si non adsint alij testes, tenentur reuelare crimen occultum sui coniuncti, propter excommunicationem in aliquo monitorio. Nauarr. & alij 4. *p. 3. tr. 5. res. 63.* Sed contrarium probabile est, etiam quoad cognatos in quarto gradu. (Raynaud. & Peyrin.) Et quamuis teneantur, si tamen non fecerint, non obligabuntur ad restitutionem: quia non peccabunt contra iustitiam. Raynaud. *p. 5. tr. 13. res. 67. & 68.*

3 Probabile est testem non teneri denunciare crimen, quando scit nullum alium esse cōtestem; quia ex solâ ipsius depositione nō potest reus condemnari, sed tantum torqueri. Lessius & alij 3. **Contrarium tamen est probabilius.**

Azor. & alij 6. part. 3. tract. 5. ref. 100.

4 Testis iuridicè interrogatus non tenetur ad restitutionem damni, quod secutum est ex veritate non manifestatâ: quia non peccat contra iustitiam. La Cruz & alij 2. quamvis contrarium etiam probabiliter doceat Malder. & alij 6. *ibid.* ref. 101.

5 Qui falsum testimonium dixit, ratione cuius mors, vel mutilatio alteri est inferenda, tenetur illud retractare, etsi ipse similem pœnam timeret: quia pari damno melior est conditio innocentis. Aliud esset si ex ignorantia non mortaliter culpabili ita testatus esset. Lessius & alij p. 4. tr. 4. ref. 99.

6 Reo iam per alios testes convicto, falsus testis superueniens non tenetur ad restitutionem: quia non est causa efficax damni. Pirigian. p. 3. tr. 5. ref. 105.

Testis apud Inquisitores.

7 **I** Nemicus capitalis Rei non est admittendus in testem, etiam in articulo mortis, etiam in torturâ, etiam si sit reconciliatus, modò hæc reconciliatio recens sit: secus si inimicitia non est capitalis, etsi etiam cum

minuat

minuat fidem. Imò neque consanguinei, aut subditi inimici capitalis, nisi legitimo adminiculo adiuventur, vnde probabiliter constet eos non duci odio ad testandum *part. 4. tract. 8. ref. 16.*

8 Ceteri omnes admittuntur in testes, excommunicati, infames, socij criminis, periuri, hæretici, domestici, familiares, consanguinei, mulieres, & minores 14. annorum, & quidem omnes sine torturâ. *ibid. ref. 57.*

9 Etsi reus testibus nihil opponat, non eo ipso habendi sunt omnes exceptione maiores, sed debent Inquisitores in eorum vitam, conditionem, & qualitates inquirere. *ibid. ref. 124.*

10 Si testis vnus inhabilis concurrat cum altero valdè digno, huius dignitas non potest alterius defectum supplere, vt faciant plenam probationem, nisi cum vtriusque depositione alia indicia concurrant. Similiter etsi duo testes singulares sint valdè digni, nobiles, & eximix personæ, non possunt facere plenam probationem. *ibid. ref. 129.*

11 Propter multitudinem testium nō idoneorum poterit reus damnari, etiam

iam ad pœnam ordinariã, præsertim si aliã concurrant coniecturę, sed ad hoc saltem quatuor non sufficiunt. *ibid. ref. 123. & tr. 6. ref. 11.*

12. Quando audiuntur testes, debent adesse duæ personæ religioſę, non quidem professione, sed animo candore, & zelo religionis: Neque possunt Inquisitores hoc examen aliis committere, nisi nec testes ad ipsos, nec ipsi ad testes ex legitimã causã possent accedere. *ibid. tr. 8. ref. 12. & 29.*

13. Etsi in aliis causis expediat testes confrontare cum reo, non tamen in causã hæresis. *ibid. ref. 63.*

14. Testes in summario iudicio recepti, & examinati in plenario, medio præstito iuramento, debent iterum examinari, seu ratificari, aliàs non faciunt fidẽ in iudicio: non debet tamen eis tunc ostendi prima attestatio, ut appareat an idem profus testentur. *ibid. ref. 27.*

15. Plures testes singulares etiam de eãdem hæresi diuerso tempore prolatã, non possunt vniri, ut faciant plenam probationem. Etsi contrarium etiam sit probabile. *ibid. tr. 7. ref. 31.*

16. Potest reus, si sit male vitæ & famę, puniri pœnã ordinariã, quando sunt

sunt duo testes, & idonei. In praxi tamen Inquisit Hispan. nemo ad pœnã ordinariam damnatur, nisi per tres testes, testes, idoneos: *ibid ref 32.*

17 Quando testes prius testimonium contrario reuocant, et si in aliis causis magis stetur primo dicto, quàm secundo; at in causis fidei, statur posteriori, quando ex coniecturis verisimilius est; quod si tamen in priori hæresim manifestasset, & in posteriori negaret, standum esset priori. *ibid ref 22.*

18 Ad instantiam Fiscalis, possunt recipi testes ad perpetuam rei memoriã, ita vt iam deponant, quod postea, illis etiam absentibus, faciat fidem in plenario iudicio contra reum. In id etiam per talem testem poni quis potest ad torturam, si deponit verisimilia, & dat rationem sui dicti. & hæc omnia in fauorem fidei. *ibid. tr. 8. ref. 115.*

Tributum.

1 **V**T tributum sit iustum, non sufficit vt causa sit iusta; sed debet esse proportionatum, ita vt vires regni & populi non excedat, alioquin erit tyrannicum. Salon & alij p. 1. tr. 3. ref. 115.

2 Imponitur iustè tributum alicui, fe-
gno

gno propter sumptus, quos Rex sustinet in aliis regnis. (Vasquez & Turrian.) Aut si Rex in egestatem incidit, quamvis suâ culpâ. (Vasquez & alij 6.) Aut si patrimonium ipsi assignatum non sufficit Regiæ dignitati, aut necessitatibus regni. Quænam autem summa illis sufficiat, Rex ipse iure suo potest designare. Vasq. & alij. *ibid.* ref. 3.

4. 13. & 12. 3. Quando causæ exigendi tributi sunt iustæ, potest Princeps per vim illud extorquere. Pontius. *ibid.* ref. 25. Quòd si dubitetur an sint iustæ, & utrimque sint rationes probabiles, videtur soluendum: quia in dubio præsumendum est pro Rege. (Suarez, & alij 2.) sed contrarium est etiam probabile. (Sanchez & alij 10.) Imò etiam in dubio negatiuo circa tributa quæ de nouo imponuntur, non deberi in conscientia, sed posse defraudari, docent Molin. & alij 11. *ibid.* ref. 25. & 21. & p. 2. tr. 17. ref. 59. & p. 4. tr. 3. ref. 39.

4. Fraudantes vectigalia iusta in materia notabili, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem. Suarez & alij 15. Quia tamen sententia negatiua est etiam probabilis, si nolint restituere,

non

non si
absolu
tr. 10. 7
Vid

T
al
occid
le ad
ti etia
potes
ri. D.

P
affe
sans
peric
recu
mo
tr. 8.
2
&c.

non sunt à Confessariis vrgendi, sed
absolui possunt. Malder. & alij 6. part. 1.
tr. 10. ref. 19.

Vide *Gabella.*

Tyrannus.

Tyrannus dum actu inuadit regnū
alienum, potest à quouis priuato
occidi, non autem dum possessum ma-
le administrat. Filliuc. & alij 2. etsi mul-
ti etiam tunc id licere doceant, si non
potest aliter respub. à tyrannide libera-
ri. D. Thom. & alij 8. p. 5. tr. 4. ref. 21.

V

VENDITIO.

Possunt merces pluris vendi, 1. ob
multitudinem emptorum. 2. ob
affectum ad rem. 3. ob lucrum ces-
sans. 4. ob damnum emergens. 5. ob
periculum amittendi pretium rei, vel
recuperandi cum expensis. 6. propter
modum vendendi. Bonacin. & alij. p. 1.
tr. 8. ref. 23.

2 Gemmas, canes, falcones, picturas,
&c. quæ non habent pretium taxatum,
potest